

Joachim Lindemann Timotheus Lütkemann

Sanctissimum Iubar Simplicitatis Divinae

Rostochi[i]: Riechelius, 1695

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732461987>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1695

74
35
**SANCTISSIMUM
JUBAR SIMPLICITA-
TIS DIVINÆ,**

In quantum Philosopho contemplari fas est,
per Theses succinctas,

Amplissimo Philosophorum Ordine suffragante,
PRÆSIDENTE

M. JOACHIMO Lindemann/

Phys. ac Metaph. P. P. ad D. Mar. Archi-D.

FCtis suæ h. t. DECANO,

PRO RECEPTIONE IN FCTATEM, & IM-
PETRANDA IN ALMA NOSTRA PUBLICE DOCEN-
DI AC PRÆSIDENTI LICENTIA,


*In per Antiqua ad Varnum Universitate,
expendet & respondendo tuebitur,*

M. TIMOTHEUS Büttemann/

Malchin: Meckl:

Ad d. 27. Febr. Anno 1695.

In Acreatorio MAJORI.

ROSTOCH, 
Typis JACOBI RIECHELII, Ampliff. Senat.
Typograph.



V I R O

Maxime Reverendo, Magnifico Amplissimoqve

DN. JOANNI
FECHTIO,

Doct: Theologo de universa Christi Ecclesia
meritissimo, P. P. longè celeberrimo, Consistorii Ducalis
Adsessori dignissimo, Superintendenti districtus
Rostochiensis Gravissimo,

PATRONO, PRÆCEPTORI, & in
CHRISTO PATRI plusquam filiali pie-
tate & nunquam intermorituro affectu
prosequendo,

Pagellas hasce observantiæ perpetuæ testes in
ulteriorem Studiorum suorum commendationem ceu
primam gratitudinis arrham

*obsequiose dedicat
deditissimus Client.*



JESU FAVENTE!



Ulgentes collustraturus gemmas, omnes cum simul intuetur, visus hebescere atq; confundi occipit, eodem plane modo, debilem mentis aciem perstringet aut occæcabit, omnium, quibus Simplificissima radiat Essentia, Attributorum Divinorum, Splendor, *finiti quippe ad infinitum sicut non datur proportio aut capacitas, ita nec consummatus in tanta intellectus nostri imperfectione conceptus, quò Divina exhauriat.* Totum igitur mare, ut Veterum quidam modeste loquitur, cum bibere non valeam, sumam quantum ad explendam sufficit sitim, considerationi impræsentiarum subjecturus, *summam DEI Simpliciter* per Naturæ Lumen cognoscibilem; pio autem ac simplici conamini benignissimum adspiret Numen, cujus sub auspiciis operi admovenda manus.

Th: I. Ante verò, quàm Attribui hujus attingamus descriptionem, tum etymologia, tum homonymia vocis tribus prænotandæ occurrunt: *illam* quod attinet, simplex dicitur, quod est sine plica, s. quod excludit sibi aliquid admixtum seu adscititium; *hec* ex varia, quâ pollet significati-

one innotescit, fumiturque communiter (1) vel in oppositione ad *dolosum*, (2) ad *prudētiā* (3) ad *mixtum* (4) notionaliter quatenus denotat terminum *simplicem* ut in Logicis, vel demum (5) in oppositione ad *compositum*, ultimam hanc significationem impræsentiarum attendimus.

Tb: II. Cujus *formalis ratio* seu conceptus quidditativus dicit (1) negationem compositionis s. v. resolubilitatis in plura realiter distincta. (2) Perfectionem positivam, quæ per illam negationem, non aliquam formam perfectam, sed imperfectam compositionis negantem, fundamentaliter seu ut loquuntur, arguitivè connotatur, hinc licet quoad nostrum concipiendi modum non nisi per negationem oppositi explicetur, re tamen ipsa aliquid positivi est.

Tb: III. Cum verò *Simplicitas* alia sit *absoluta* seu in omni, alia *restricta* seu in certo genere Entis, non hanc, quæ certam tantum compositionis speciem respuit, sed illam, quæ fit, ut res nec in se sit composita, nec aliquid ipsi componibile, nec ipsa alicui componibilis, DEO vendicamus, quam Philosophi aliàs *positivam* vocant, seu indivisibilitatem perfectionis, ut adeo per hanc simplicitatem DEUS liber sit ab omni multiplicitate, compositione seu divisione, prioritate & posterioritate in essentia sua.

Tb: IV. Quibus præmissis asserimus: *SIMPLICITAS* est *Attributum DEI absolutum*, quò is omnem omnino compositionem in genere Entis realis positam excludit, quod assertum clarius exprimit *Philosophus Ultrajectinus* Gerhardus de VRIES: *Quapropter*, inquit, *vel DEUS per omnia DEUS, i. e. Ens independens non est: vel ipse habet id, quod habet, aut potius; est id omne quod est, planè independenter, h. e. citra ullam sui ex pluribus compositionem.*

Tb: V. Sicut verè & propriè in DEO sunt *Attributa*,
tanquam,

tanquam conceptus s. v. realitates à primo DEI conceptu distincti, ex eo secundariò, essentialiter tamen fluentes, cumquè eo reciprabiles, non tamen desumpta ex prædicamentis accidentium, realiter à Subjecto, & inter se differentium, qualia reperiuntur in physica, variasq; poscunt rationes, quas longò recensere ordine præfixa breuitas non patitur: Ita quoque Divinorum Attributorum Palatium, summa hæc DEI intrat Simplicitas, insignis tanquam columna, vel (ut terminò utar in Scholis recepto,) *ratio à priori*, quâ inconcussa saluum manet reliquorum v. g. immutabilitatis, aliorumquè fundamentum, cuius in descriptione exprimitur tum *conceptus contrahibilis ἀναλόγως*, talis per verba: *Attributum DEI absolutum*, tum *contrahens*, quem negatio omnis omninò Compositionis indicat.

Th: VI. Compositionem, quam ab Essentia DEI removemus, intellectam volumus omnem *realem, & imperfectionem separatam*, (ad quam Philosophi requirunt (1) Unionem seu conjunctionem extremorum. (2) realem extremorum positivam entitatem. (3) realem eorundem inter se distinctionem, quibus alii adjungunt (4) alterum extremorum unibilium se habere per modum potentiaë, alterum per modum actus, alii demum (5) ut compositum, extremis componibilibus seorsim ac singulatim consideratis, perfectius censeatur;) non verò *rationis*, quam vocant *rationem nata*, à parte rei nullam diversitatem realem aut imperfectionem in DEO arguentem, quin potius summam Perfectionis excellentiam.

Th: VII. Animus non est, omnes hîc nobis obvios perscrutari terminos, alii, DEO vitam viresquè concessuro reservabimus tempori, instituti tamen, ut id impleamus, ratio poscit, indicemus: Essentiam Divinam omnis in præ-


cedente thesi dictæ Compositionis vacuum esse, quò in negotio expediundo venerabimur sacro silentio prætereuntes *Spiritus Sancti* ex augustissimo Sacrarum literarum Oceano hausta *testimonia*, quorum uberrima est messis, *Patrum* quoque *suffragia*, & ipsius *Philosophi consensum*, quem ut exercitii gratiâ hæc jungam verba, nunquam errasse, affirmare ausim, ita hinc colligentis libr. VI. Eudem. cap. XIV. *DEO idem semper jucundissimum esse*, verba hæc sunt: *Cujus Natura simplex est, eadem actio semper erit jucundissima, itaq; semper unâ & simplici Deus voluptate potitur; nobis autem idem semper jucundum non est, quia simplex nostra Natura non est.* Varia saltem hâc vice compositionis genera à DEO removenda adducemus:

Tb: VIII. Quæ inter est, tum *Compositio physica*, partibus essentialibus, materiâ & forma, ac integrantibus quantitativis constans, tum *Metaphysica*, ex Subjecto & Accidentibus, ex Essentia & Existentia, ex Natura & supposito ante operationem intellectus, & Creaturis conveniente, tum *Logica* ex Genere & differentia, DEO quàm maximè repugnans, cum sit actus purissimus, nullam admittens potentialitatem contrahibilem, quod pluribus in ipso amicissimo oppositorum certamine, datâ occasione ostendetur.

Tb: IX. Ex negatis itaque variis Compositionis modis perfectissima innotescit DEI simplicitas, ejusdemque simplicissima perfectio, quò enim quid simplicius, eò perfectius, ut ut non defuerint longis ab hinc temporibus homines hanc simplicitatem labefactare ausi, quorum classis, è veteribus *Gilbertus Porretanus, Pictaviensium Episcopus* annumerari solet, quem in Concilio Rhemensi vel auditum, vel damnatum esse historiæ tradunt. Eundem secutus est è recentioribus *Conr. Vorstius, Smalzius, Goclenius, Tim-
plerus,*

plerus, Keckermannus aliiqve. Antropomorphitarum errorem tacemus, qui absurdior est, quam ut refutatione indigeat.

Th. X. Ultimo loco hanc simplicitatem evertere videri posset *Inarnationis τὸ λόγος Mysterium*, quò de tamen cautius ac sobriè loquendum censemus, cum sphaeram rationis omnis transcendat, sufficit obiter indicasse, quod nihil ab hoc Mysterio Simplicitati Divinae fit metuendum, compositio quippe *cum quo* non tollit simplicitatem, sed *ex quo*. Ne autem longius quam brevitatis patitur, excrescat institutum nostrum, finimus hic, Simplicitatem DEI verbis *Bernhardi libr. V. de Confid. ad Eug. venerantes: Mihi non deest quod cogitem melius ejusmodi DEO tuo. Quæris quid? mera simplicitas. Verò judicio simplex multiplici antefertur.*



COROLLARIA.

- I. Nondum decisa satis quæstio vexata, cujus Auctor perhibetur Philosophus Atheniensis nomine Taurus, nempe hæc: *Quando homo moritur?* an cum in morte est, an cum adhuc vivit? non *prius*, sic enim his moreretur, nec *posterius*, sic enim contradictoria forent in eodem Subjecto, quæritur quodnam detur *tertium*, vel an detur. Frangat cui volupe est hujus *dilemmatis* cornua.
- II. *Antonii de le Grand historia Naturæ* accuratè dicta *non est Historia* uti nec *Plinii* vastum opus jure hoc titulo superbit. Multum enim differt hæc Phrasis *scribere historica*, ab illa, per quam quis dicitur *scribere historias*.
- III. Qvan-

III. Quando facies hominis ex pavore pallet, & pudore rubet, *nullus generatur color*, qui prius non fuerit.

IV. Qui Metaphysico studio minus favent, & sine illo sibi videntur sapere, non putant se invenisse, quod pueri in faba, quando *proprio Aristotelis testimonio* Metaphysicam accusant inutilitatis. Hoc autem petunt ex Plutarcho in vita Alexandri M. tom. Op. I. p. 668. ex Epistola Aristot. quæ sic recitatur: ἀληθῶς γὰρ ἡ μετὰ τὰ φυσικὰ πραγματεία, πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν ἔδειν ἔχουσι χεῖριστον, sed frustra talia opponi in conflictu ostensuri sumus.

V. *Qui nihil & non-Ens pro Synonymis* habet, explicet quæso nobis *Passeratii* Versiculos:

Nobilius *nihil* est magnorum sanguine Regum,
Firmius est adamante *nihil* chalybumq; metallis.
Fata *nihil* superat: *nihil* æquiparabile Cælo.

VI. Virtutum homileticarum triga: *Comitas, Veritas, Urbanitas*, in *societate* non tantum *Civili*, verum quoque in *Disputationibus* locum habet, ut teneatur in illis *modestia & aurea mediocritas*.



